



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 76. Ingens Lusitani a pace cum Venetis penitus alieni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

„ mos viresque jungant. „ Porro Mo-
 nachus in Ægyptum reversus, legatio-
 nis suæ rationem reddidit, nec tamen
 propterea Sultanus, quæ minatus fue-
 rat, executus est.

§. LXXV.

*Lusitani a pace cum Venetis penitus
 alieni.*

Cum autem Veneti aromatum, quæ *Marian. lib.*
 cum ingenti quæstu per omnes Pro-
 vincias divendebant, commercium a
 Lusitanis interceptum summopere dole-
 rent, cum æmulis suis concordiam inire,
 eosque in lucri partem admittere consti-
 tuebant; hanc in rem cum Ferdinando
 Hispaniarum Rege agebant, ut cum Ema-
 nuele Lusitano genero suo conferens, has
 controversias componeret: verum is ope-
 ram ea in re perdidit; quippe lucri cupi-
 ditas Lusitanorum aures obturavit.

§. LXXVI.

*Ingens Lusitani Regis propagandæ
 Fidei studium.*

Ceterum Emanuel non solum, ut in *Oforius l. 3.*
 Regno suo vel maxime commercia *Maffæus l. 3.*
 florerent, intentus erat, sed etiam po-
 tissima sollicitudo ejus animum occupa-
 bat, ut per omnes Regiones, quæ illius

Sæcul. XVI Imperio parebant, Christi fidem propaga-
A. C. 1504. ret: quapropter pro viribus adlaborabat,
 ut in illis fidei Orthodoxæ semina jaceren-
 tur, quæ etiam feliciter sparsa fuere in
 Africa, Asia, atque in illa mundi pla-
 ga, quæ America dici cæperat: præci-
 pue vero studium suum convertit in Con-
 gi Regionem, quæ, ut supra memora-
 vimus, anno salutis millesimo quadrin-
 gesimo octogesimo quarto detecta fuit,
 ad hanc ergo isto anno multos Viros
 Apostolicæ pietate, ac scientia conspi-
 cuos misit, qui gentem illam tam in fide
 suscepta confirmarent, quam uberius in
 Religionis veritatibus instruerent: ut ve-
 ro Congenses incolæ mechanicas etiam
 artes edocerentur, multos, eosque pe-
 ritissimos artifices eo destinavit, qui om-
 nes summa veneratione, ac humanitate
 excepti fuere.

§. LXXVII.

Sabellici liber de Historia universali.

*Paul. Jov.
 elog. cap. 42.
 Vossius de
 hist. Lat. 1. 3.
 Philipp. de
 Bergam. lib.
 16. suppl.
 chron.*

Ad hunc usque annum Sabellicus Hi-
 storiam suam perduxit in septem E-
 neades, seu sexaginta tres libros divi-
 sam. Is Marcus Antonius Coccius Sa-
 bellicus nominabatur, in quodam muni-
 cipio Italix oppido natus haud procul
 ab Autone, alias *Vico-Varrone*, in Re-
 gione veterum Æquicolarum. Nonnulli
 illum